

Ye^o

3654




RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS
M. LAURENTIUS FABRICIUS
DANTISCANUS, HEBRÆÆ LINGUÆ
PROFESS. ET FACULTATIS PHILOSO-
PHICÆ SENIOR,



p. 224. Habent hoc
Uemadmodum illi, qui secularem consecretan-
tur militiam, si absint diutius à pugna & pulvere, ac otii inter desidiam voluptatum

atque deliciarum consuetudine mollitiem induerint animis ignavi ferè & ad victoriam redduntur inutiles: ita & quos ad perenne cingulum vocavit CHRISTUS, si nimio prosperarum rerum usu floreat, enervari & ipsi assolent, ut tueri dignitatem sui nominis vix possint. Effœminant enim animos perpetuata secundarum rerum gaudia: & sui officii meminisse difficulter potest, cui omnia ex votis, imò supra vota succedunt. Quocirca uti ad valentiam vel maximè facit aperiri quandoque venas, extrahi sanguinem, aduri membra ac circumcidi; sic ad animæ salutem quoque multum conducere existimandum est, si ærumnæ atque miseriæ nos aliquando exerceant, & calamitas atque infortunium aliquod per æratem premat ac vexet. Idcirco viri sanctissimi & Deo ipso quodammodo mixti, joco ac risui prætulere semper lacrimas, atque præ omnibus deliciarum voluptatibus dura & aspera sectari amaverunt. Ipse etiam Salvator noster beatos appellat lugentes, & qui nunc lætantur, flere eos in novissimo dicit. Equidem paucissimis datum est inter prospera sapere; & sumus plerumque meliores, quando cum malis nobis conflictandum est. Tunc cogitamus nos esse homines, tunc revocamus ad memoriam delicta, tunc Deum metuumus vindicem, & miseratorem exoramus. Quorum quidem aut facere quicquam aut meminisse saltem vix potest, qui longa felicitate ebrius, ut cum Poetâ dicamus, & velut consopitus est. *Nullum habebit accessum cordis ad compunctionem, ubi fuerit immoderatus risus & jocus: ubi autem fuerint lacrima, ibi spiritus alius ignis accenditur, qui secretis mentis illuminat.* præclare & piè prorsus in Admonitionibus suis B. Basilius monet. Quid igitur est, quod conqueramur streperè, quod exoptulemus cum Deo si mali quandoque immittit quippiam, & aliquâ aliquando nos admoneat plagâ? Hoc enim ipsum non tam odio nostri, quam amore facere existimandum est, & sub malorum nobis favere specie, sicuti sub bonorum aliis irascitur & punit. Serio ista aut talia secum recogitavit hæcenus vir Amplis. & Prudentis. Dn̄ BURCHARDUS KLANNERUS Reip. Oppidanæ Consul & Syndicus, nec non Electoralis Dicasterii Advocatus, atque exinde non parùm solatii ac levamenti in domesticis sibi percepit malis. Nam quamvis suam sibi dulcissimam conjugem MARIAM diuturnâ morbi ægritudine non sine acerbissimo doloris sensu videret affligi, ejusque non solum corpus miserrimis indies affligi modis; sed & ipsam mentem quoque, rationis arcem, tentari validè ac opprimi: tamen nullum unquam impatientiæ edidit signum; sed æquo ac leni tulit animo, quam à Deo immissam interpretabatur calamitatem. Igitur quod indoluit uxoris malò, boni conjugis; quod fortiter stetit contra adversa, nec armâ submitit oppugnanti fortunæ, boni Christiani partibus perfundus fuit. Verissimum autem comperiit quod à divino viro dictum: nemini graviora Deum imponere, quam quibus sit sufferendis. Namque quum maximè urgeret malum, quum nihil ad summam infelicitatem prope deesse videretur, illicò Deus adfuit, & omnem illius calamitatis, ut sic loquamur, scenam complicavit, dum afflictissimam hæcenus sceminam, postquam ad saniorè mentem revocasset penitus, ex vita ista & vario rerum humanarum mimo ad se evocavit. De qua ista quidem accepimus. Nata fuit Torgæ ad d. XIIIX. Januarii Anno Christi ∞ 15 LXXXVII. Patre Viro Honestissimo AUGUSTINO Nebelthau, Mercatore & Cive primario, in cujus sinu sanctissimis moribus adolevit. Juvencula novendecim annorum prædicto nobis Domino Consuli solennibus nuptiarum ceremoniis elocata fuit. Cum quo hæcenus, annis scilicet octodecim & quod excurrit, placidè proorsus ac suaviter convixit, deciesque ipsum reddidit patrem, quater quidem masculinâ, sexies verò scemininâ prole. Ex quibus filiorum unus, tres autem filiarum in meliorem ipsam vitam præcesserunt. Ante biennium gravissimi morbi genere infestari cœpit; quod non tantum in corpus ipsius, sed mentem ipsam ac rationem diuturno satis sævit furor. Quo factum, ut nulla pœne sanioris hominis munia obire ipsa posset. Nam & vires prostratæ ac fractæ erant penitus, & oppressa vera ratio officium suum minimè poterat præstare. Quæ tamen proximis ante obitum diebus ita Dei beneficio recuperata fuit, ut pœne alia videretur. Itaque nihil omisit eorum, quæ ad beatum obitum, quem non ita procul abesse providebat, necessaria videbantur. Nam & peccata sua summa contritione cordis confessâ est, & sacrosanctæ cœnæ viaticum devotissima animi reverentia accepit. Nec ante finem fecit precibus, quam vitæ ipsius faceret, extremâ etiam voce ac spiritu se Sacratissimæ Triadi commendans. Obiit nudius quartus circa vesperam; ad H. I. postea ex mariti vobis efferetur & cohonestata concione funebri Christiano more sepelietur. Vestrum erit Cives Academici frequentes venire exequias, & mortalitatis nostræ conditionem perpendere seridè & considerare. P.P. ad d. V. Octobris anno reparatæ gratiæ ∞ 15 CXXIV.



LECTOR
 IÆ WITTEBERGENSIS
 TIUS FABRICIUS
 S, HEBRÆÆ L
 FACULTATIS PHILC
 PHICÆ SENIOR,

n illi, qui secularem
 ius à pugna & pulvere, ac otii inter
 aduerint animis ignavi ferè & ad victoriam redduntur inutile
 m usu floreat, enervari & ipsi assolent, ut tueri dignitatem sui no
 sui officii meminisse difficulter potest, cum omnia ex votis, imò sup
 m, aduri membra ac circumcidi; sic ad nimæ salutem quoque m
 nfortunium aliquod per ætatem prenat e vexet. Idcirco viri san
 n voluptatibus dura & aspera sectari amiserunt. Ipse etiam Salvat
 tum est inter prospera sapere; & sumus lerumque meliores, qua
 eta, tunc Deum metuimus vindicem, & miseratorem exoramus. C
 amus, & veluti consopitus est. *Nullum habebit accessum cordis ad
 secret a mentis illuminari*, præclare & pie præsus in Admonitionibus
 andoque innuit quippiam, & aliquâ aliquando nos admonet p
 e specie, sicuti sub bonorum aliis in scitu & punit. Serio ista aut t
 danæ Consul & Syndicus, nec non Electoralis Dicafterii Advocac
 lcissimam conjugem MARIAM dutur morbi ægritudine non
 am mentem quoque, rationis arcem, tenati validè ac opprimi: ta
 tabatur calamitatem. Igitur quod indolent uxoris malo, boni con
 nctus fuit. Verissimum autem comperii quod à divino viro dict
 n, quum nihil ad summam infelicitatem prope deesse videretur, illi
 eminam, postquam ad sanio rem nentem evocasset penitus, ex vi
 d. XIX. Januarii Anno Christi 15 LXXXVII. Patre Viro Ho
 vit. Juvencula novendecim annorum prædicto nobis Domino C
 xcurrit, placidè porfus ac suaviter convixit, deciesque ipsum redd
 um in meliorem psam vitam præferunt. Ante biennium gravi
 satis sæviit furore. Quo factum, ut nulla pene sanioris hominis m
 inimè poterat prestare. Quæ tanen proximo ante obitum diebus
 nem non ita procul abesse providebat, nec essaria videbantur. Nar
 entia accepit. Nec ante finem fecit precibus, quam vitæ ipsius
 ram; ad H. I. postea ex mariti ædibus efferretur, & cohonestata conc
 alitatis nostræ conditionem pependere serio & considerare. PP. ad d. V. Octobris anno reparatæ gra

